

/ Admodum R/de Pater, Accepi literas R.V. datas 26 januarii, alias autem priores quibus novum annum felicem mihi precabatur, non accepi. Quod attinet ad canonicatum procurandum filio Domini Theodori Scoti, res non esset admodum difficilis, si possemus praevenire alios pe-  
5 titores, quando canonicatus vacant in mensibus pontificiis; sic enim ante aliquot annos sine ullo labore obtinui canonicatum in ecclesia Cathedrali Brugensi cuidam meo familiari Flandro, qui primus rescivit vacasse canonicatum illum. Ego quidem rogabo Summum Pontificem et D.Datarium, ut velint in gratiam meam providere filio D.Theodo-  
10 ri de canonicatu aliquo vacante in Belgio; sed non spero memores e eos futuros, nisi in tempore eos admoneam. Oporteret autem, ut ad me scriberetur nomen et cognomen ejus cui dandus est canonicatus, nec non aetas, doctrina, mores; et testimonium alicujus viri fide digni, qui calculo suo ista comprobaret. His valeat R.V. mei memor in sanc-  
15 tis precibus suis. Romae die 20 Martii 1615.